



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 329. Quænam sint pœnæ quorundam furtorum in specie & imprimis furti Sacrilegi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)



Wiestn. n. 31. quæ irregularitas, etsi indirectè auferri possit à Principe, aliave potestate sæculari, tollente directè infamiam à jure civili inductam, in qua irregularitas fundatur. Suar. l. c. n. 10. Henricq. L. 14. c. 5. n. 3. Pirh. n. 27. directè tamen illam tollere nequit; sed neque ullus alius id potest, & cum eo dispensare ad sacros Ordines præter Papam, quin & ipse id nunquam facere consuevit, nisi priùs abolitâ infamiâ juxta *c. cum te. de sent. & re judic.* ut notat Molin. *ir. 4. de 7. & 7. d. 10. n. 3.* Dicitur tamen notanter: *Fur notorius, aut furii condemnatus*; quia sicut fur ob furtum occultum infamiam juris non contraxit, ita neque irregularitatem. Proinde Episcopus ad Ordinum susceptionem, ministratiõnemque in illis furem occultum, etsi is illud ultro fateatur, admittere potest, modò pœniteat & restituat, postquam restitutionem & pœnitentiam peractam, aut congruam ejus partem fur occultus, etiam Sacrilegus citra dispensationem ad Ordines promoveri potest, prout constat ex *c. fin. h. t. Pirh. l. c.* contra quosdam asserentes, etiam ob delictum occultum reddi aliquem irregularem, & hinc egere dispensatione quò ad Ordines. Atque ita, ut fur promoveri possit ad Ordines, citra dispensationem, requiruntur quinque sequentia: Spontanea confessio furti, restitutio seu satisfactio, modò eam præstare possit, ut non fuerit publicè infamatus de furto, ut peregerit pœnitentiam, partemve illius etiam imponendam post factam restitutionem.

4. Quartò: Præter pœnam infamiæ & irregularitatis alienus fur notorius in furto notabilis quantitatis, aut iterato deprehensus vel convictus, ab Ordine & officio clericali deponendus. *can. presbyter. dist. 81. & c. cum non ab homine. de judicis.* non tamen adhuc excommunicandus, ut Pirh. *h. t. n. 25.* cum Diaz. *in pract. crim. can. c. 94. num. 1.* si verò non respiciat, excommunicandus est, crescentèque contumaciâ anathemate feriendus, id est, solenniter excommunicandus, ac tandem, si in contumacia perseverans evadat incorrigibilis, tradendus est curiæ sæculari ab ea legitimâ pœnâ puniendus, juxta *cit. c. cum non ab homine. & ibi DD.* communiter; ita Tholosan. *Synagm. fur. univers. p. 3. L. 37. c. 2. num. 23.* Pirh. *cit. n. 25.* Wiestn. n. 32. Reiffenst. n. 53.

*Quest. 329. Quenam sint pœna quorundam furtorum in specie, & imprimis furti sacrilegi?*

1. **R**esp. Primò: Furtum sacrilegum (quod olim de jure civili juxta *L. Severus. & L. Sacrilegi. ff. ad Leg. Jul. de pecul.* non censebatur verum Sacrilegium, nec pœnis illius ordinariis subiectum, nisi esset ablatio rei sacræ ex loco sacro, hodie verò est, & sumitur etiam vi *Const. Carol. a. 171.* pro ablatione tam rei profanæ ex loco sacro, quam sacræ ex loco profano, juxta *can. quisque. 17. q. 4.* quamvis etiam Azor. *Inst. mor. p. 1. L. 9. c. 27. q. 6.* Less. *L. 2. de Inst. c. 45. n. 14.* pro Sacrilegio propriè tali non habeant furtum rei non sacræ, seu non benedictæ, nec ad usus ecclesiasticos deputatæ in loco sacro, non securitatis & custodiæ causâ depositæ, vel Ecclesiæ concredita, sed casu ibi relicta & posita; tale, inquam, furtum sacrilegum sine violentia, seu effractione loci sacri commissum de jure civili punitur pœnâ arbitrariâ extraordinariâ, ita, ut juxta furti, rei & personarum qualitatem etiam ad mortem deveniri possit, furemque sacrilegi vivi comburi, in furcâ suspendi, vel aliâs capite

plecti queant. *cit. c. Sacrilegi. Host. in Sum. tit. de crim. Sacrileg. h. t. n. 3.* Clarus *S. Sacrilegium. n. 3.* Menoch. *de arb. cas. 289.* Fatim. *pr. crim. p. 7. q. 172. n. 11.* Pirh. n. 32. si commissum cum violentia verum violatorem Ecclesiæ constituit, & illius pœnam incurrit secundum dicta.

2. Resp. Secundo: Jure Canonico præter excommunicationem, non quidem ipso jure, seu factò, sed ferendam incurrit, à quo non absolventi, priusquam plene satisfecerint, Arg. *c. fin. h. t. & c. conquestus. de foro compet.* incurrit varias alias pœnas. Primò: multam pecuniariam præstare debent Episcopis, Abbatibus, aliisve, ad quos querimonia Sacrilegii justè pertinet, *c. quisquis. 17. q. 4.* Secundo: hoc jure quoque, nimirum *can. attendendum. ead. caus. & q.* perpetuâ damnantur infamiâ, quæ tamen non incurritur, nisi post sententiam condemnatoriam furti, ut Farin. *l. c. n. 22.* vel, ut tradantur carceri, aut relegentur in perpetuum exilium. Atque ita furtum sacrilegum est fori mixti, ut etiam, si fur sacrilegus sit laicus, à Judice Ecclesiastico puniri possit, sicut locus præventioni inter Judicem sæcularem & ecclesiasticum. *cit. c. conquestus. & c. cum sit. de foro comp. & ibi Abb. n. 1.* Diaz. *l. c. c. 91. in addit. v. definitionem. li. 1.* Farin. *l. c. n. 3.*

*Quest. 330. Quid sit plagium, & que illius pœne?*

1. **R**esp. Primò: Plagium est crimen publicum, quo homo liber, seu sui juris existens, vel etiam servus alienus dolo malo, seu scienter & fraudulenter subripitur, celatur, seu supprimitur, venditur, commutatur, donatur, datur in dotem, vel alio contractu, quo rerum dominium transfertur, traditur aliis. *L. 1. & seq. ff. ad Leg. Fabiam de plagiaris.* Pirh. *h. t. n. 35.* Lauterb. *in ff. ad Lib. 48. tit. 15. §. 1.* quod crimen, etsi non sit propriè furtum, (quale tamen est, si proles sub patria potestate constituta patri, non matri, quippe potestate in prolem carenti, ita subripitur. §. *interdum. Inst. de oblig. ex delicto.* quia & ita patri competit actio furti) quia persona libera sub nullius est dominio & commercio, est tamen quasi-furtum, & furtis annumeratur. §. *idem. Inst. de inutil. stipulat.* Pirh. *l. c. Reiffenst. h. t. n. 57.*

2. Resp. Secundo: Plagii pœna jure civili olim erat tantum pecuniaria, *L. fin. ff. ad Leg. Fabiam de plagiar.* postmodum hæc pœnâ abrogatâ, successit pœna arbitraria pro modo delicti, & plerumque exilii, aut damnationis ad metallâ, ac demum pœna capitis, & quidem, si ingenuus, gladio perimendus, si servus vel libertus bestiis obijciendus, *cit. L. fin. & c. 1. h. t.* desumpta ex jure divino, nempe ex lege veteri *Exod. 21. vers. 17.* ubi dicitur: *Qui furatus est hominem, & vendiderit illum, convictus noxa morte moriatur.* Comprehendit etiam hæc pœna capitalis non solum scienter vendentem hominem, sed & ementem, uti & non tantum donatorem, sed etiam donatarium; juxta *c. 1. h. t. Pirh. n. 18.* junctâ *L. 6. & L. fin. c. ad Leg. Fabiam,* quæ tamen interdum adhuc in mitiorem, puta exilii, aut metalli mutatur, *L. fin. ff. eod.* Jure verò ecclesiastico acriter puniri debent, sed citra mortem, cum Ecclesia pœnam sanguinis infligere nequeat. *c. in Archiepiscopatu, de raptor. vel etiam, ut Pirh. n. 37.* per mortem intelligendo non naturalem, sed excommunicationem, (quæ est mors quasi civilis, urpote per quam à communicatione fidelium veluti mortuus separatur, juxta *c. per*